



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 6. Potest-ne hoc Sacramentum bis eidem ægroto ministrari?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

rationis haberet, pii animi significationem dederit, ut inde judicari possit, eum hoc Sacramentum petiturum si adhuc integra mente esset.

Quaest. 6. Potest-ne hoc Sacramentum bis eidem aegrotato ministrari?

Concil. Tri-
dent. sess. 14.
De Extrem.
Unct. cap. 3.

Resp. Hanc quaestiuunculam egregie dissolvit Concilium Tridentinum. *Declaratur*, inquit, *etiam, esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vita constituti videantur, unde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum huius Sacramenti subsidio juvari poterunt, cum in aliud simile vita discrimen inciderint.*

S. Tho. sup-
plem. 3. p.
q. 33. art. 2.
in corp.

Observat autem sanctus Thomas, *Esse quasdam diuturnas aegritudines, qualis est ethica & hydropisis, & huiusmodi; & in talibus non debet fieri Unctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis; & si homo illum articulum evadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam aegritudinem reducatur, iterum potest inungi, quia jam quasi est alius infirmitatis status, quamvis non sit alia infirmitas simpliciter.*

Quaest. 7. Potest-ne phreneticis & furiosis hoc Sacramentum administrari?

S. Tho. in 2.
sent. dist. 23.
quaest. 2. art.
2. in respons.
ad 3. quaest.

Resp. Non potest, si semper tales sint aut fuerint; quia, ut ait Divus Thomas: *illis qui non possunt recognoscere, & cum devotione suscipere hoc Sacramentum, dari non debet; & praesertim furiosis & amentibus.*

Quoniam quidem in iis nullae sunt peccatorum reliquiae, sicut & in infantibus à quibus indigeant purgari.

Infirmis autem, ut habetur in Rituali Romano, qui dam sanam mentem & integris sensibus